


DOMITORI ORIENTIS
J O A N N I I I I I .
REGI POLONIARUM &c.

POST LIBERATAM OB-
SIDIONE VIENNAM TURCA-
RUM VICTORI SEMPER
I N V I C T O .

Applauderat

G. VACHSCHLAGER, S. R. M. Secretarius.



THORUNII imprimebat **CHRISTIANUS BEKK**, Gymn. Typ.



Bisidet Austriacam dum Thracia tota Viennā
Profunditq; suas, Bisto superbus opes.
Dum furor armorum metuendas colligit artes,
Ut subeat rigidum pulchra Vienna jugum:
Durat, & invicta Constantia fronte triumphans,
Sustinet hostilis tela cruenta manus.
Tot generosa malis una Virtute resistit,
Dum spes Sarmaticam proxima monstrat opē;
Ac velut Oceani tumidis jaētatus ab undis
Prospicit optatas, sidera, Nauta, faces:
Sic aquilas nunc, Leche, Tuas, sic Teuto cohortes,
Sollicitat votis, Numina certa, suis.
Accelerat fidum sociis vestigia pectus,
Deproperat longæ Sarmata pensa viæ.
Qvem simulac fortes hostis sociare maniplos
Atq; alacri bellum poscere corde videt:
Thrax, animis numeròq; ferox, decernere pugna,
Et dubio litem solvere Marte parat.
Concurrunt acies, validis certantq; lacertis,
Hæc Domini causam protegit, illa DE I.

Fortior at numero Virtus. Fugit impia turba,
Et trepidam cogit vertere terga pavor.
Terga nefanda premit victrici Sarmata ferro,
Subducit reliquam nox tenebrosa manum.
Non satis obsessam, tamen asservisse Viennam,
Et decus Austriaco restituisse suum.
Continuat faustos, o REX, Tua dextra Triumphos,
Et fugat audaces, vincere certa, globos
Immemor heu! tantæ quid cladis turba superstes,
Prælia sed nunquam post repetenda, petis?
An rapidis Istri quondam tumulata fluentis,
Perdere fraternâ lumina forte cupis?
Sic rabiem Natura Tuam, sic unda furorem,
Vindicat, & Patriæ pignora rapta suæ.
Ut fugiens fortis mortalia vulnera pugnæ
Invenias mediis vulnera, tela, vadis.
Horrida jam veteres sileant spectacula chartæ,
Tristior hâc Scena fabula nulla fuit;
Quam cum Danubio mixtum bibit ore cruorem,
Quem sitiit, dignum sic periisse, genus,
Millia cui caput quamvis de corpore magno
Hostilis ferri vulnere cæsa cadant.
Millia succrescunt, alio prægnantia foetu,
Cui micat è toto barbarus ore pater.

168
Sed crescant nostris turgentia monstra ruinis,
Monstrorum Domitor dum Tibi, Leche, viget.
Cujus ad Herculeæ felicia robora dextræ
Concusit totiens fertilis Hydra caput.
Solvite Germani Ducibus pia præmia tantis
Armavit Patriæ quos pereuntis amor.
Quos pietas sanctum Christi defendere nomen.
Et Daco jus sit gutture læsa fides.
Præmia Sarmatico quæ cedent digna Gradivo,
Quo stetit Europæ, sed quoque vestra Salus.
Qui Scythicas Civis traxit cervice catenas,
Tempora victrici Daphnide cincta gerat.
Europæ ferrum potuit qui frangere Victor,
Maxima quantumvis præmia nulla feret.

